

THESES,

STIPENDIARIIS DISPUTANDI MATERIEM
PRÆBITURÆ,

QUAS,

CONSENT. MAX. VENERAND. FAC. THEOL. ABOËNS.

EDIDIT

Mag. JACOBUS BONSDORFF,

*Theol. Doct. Prof. Seminar. Theolog. Director,
Eques Ord. de S. Wolodim. in IV:a Cl.*

RESPONDENTE

CAROLO FREDERICO TICCANDER,

Tavastensi.

In Auditorio Theol. die V Februarii MDCCCXXV,

h. a. m. s.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM.



Thefs. I.

Eximiam quum Sacræ veteris fœderis pandectæ, Hebræo exaratæ idiomate, præfent utilitatem, sive religionis & morum doctrinam Divinitus patefactam, sive historiam humani generis antiquissimam longeque dignissimam spectaveris, sive etiam elegantiorum literarum ad ingenium gustumque acendum anquisiveris exempla, non possumus non summo hæc commendare scripta jure, atque urgere, ut nativo suo stilo & perlegantur & dijudicentur.

Thefs. II.

Quod vero profanis auctòribus antiquarum gentium, Helladis & Latii, contigit juris, post rite examinatam rem iudicium subire saniorum æquissimum, id Sacris Scriptoribus indulgere, fallacem novaturientium piguit turbam. Jam enim res & opinones illis fingere, jam veras historias sententiasqne ut fictas nullo nixi fundamento rejicere, jam stilum plebejum longeque infra humanæ artis positum principia inique criminari, in animum induxerunt. Fontem vero talium in revelationem & Scripta Sacra inimicorum moliminum facile dixeris esse ignorantem literarum, nisi contigerit quoque sagacissimis & ingenio ornatis haud spernendo, ut varia ex lingvæ procastitate effutirent commenta. Sed turbidum ipsum mare tandem quoque requiescit.

Thefs. III.

Postquam enim explosa fuit superstitionis quædam opinio, Lingvæ Hebræe internam præ ceteris sanctitatem adsignare amans, & divinitatem literarum immo apicum minutissimorum tantam

tantam effingens, ut nihil ex arte humana judicare, nihil ad nativum restituere sive lingvæ sive scriptoris genium, concederetur, tanta in rem Sacram invigilavit bonorum interpretum cura, ut Divina ab humanis, res ipsas ab earum involucris, nucleus a cortice probe discernerent. Qui enim Divinam revelationem in scriptis Hebræorum, tam historicis quam dogmaticis, toties emicare gentemque universam illustrare, regere, moderari cernis, difficilisne eris in arte ipsa humana, quæ Divino quoque paruit moderamini, agnoscenda? antiquitus quippe invaluit sententia moderationum, Deum semet attemperasse Scriptorum ingenio animique characteribus. Hinc diversitas stili in quoconque dicendi genere non obscura.

Thef. IV.

Ut de Divina illa arte sive revelatione, quæ in Hebræa gente, ab ejus initiosis usque ad finem, non interrupta serie contigerat, nihil jam dicamus, humanam floruisse artem dicendi excellentissimam tuto ex codicis hebraici voluminibus colligere possumus. Literas quidem, scientias ac artes quaslibet Hebræis fuisse excultas minime postulamus, siquidem infantilis ingenii ratio non id secum ferre potuit; Religionis erat illa esentialis scientia, qua imbuerentur Israëlitæ; haecque Diva religio fuit civitatis atque totius legislationis Mosaicæ fulcrum, quam eximiam artem quis est qui non suspicit? Præter ea vero historiam, simplicem hanc fata gentis enarrandi artem, floruisse, ex ipsis annalibus Mosaicis & Prophetarum cernere licet.

Thef. V.

Dicendi artem, in Hebræa gente familiarem, proprius considerabimus, quatenus ex scriptis propheticis eam enucleare detur. Fuit vero hæc ars vel prosaica vel metrica s. poëtica, utraque non tam regulis artis, quam naturæ legibus adstricta. Esto nempe, nec tales neque tot inter Hebræos eminuisse Oratores, quales in profanis gentibus Athenarum, Thebarum, Romæ reapse floruerunt: Immo quoque nullum Ciceronem

nem, de Oratore disserentem, Iudaica in gente viguisse; Siene tamen omnis aut desit aut non exstittit Svada, animos hominum demulcens, vincens, emendans? Quis Mosis dicta ad Pharaonem, emphatica ejus & vere Divina oracula v. c. Exod. XIV: 13. 14. (nulla enim humana arte edoctus talia proferre potuit) tot admonitiones, objurgationes, paternasque castigationes per omnes libros Mosis sparsas, ultimumque valedictorium sermonem perlegens ab admiratione se temperare potest atque stupore? Quis Samuelis, optimi morum censoris atque Prophetæ, ad populum pertinacem, ad Saulum regem electum, aliosque directa verba, v. c. I. Sam. XII. affectum vere paternum spirantia non sentit, licet fluxu verborum & ornatu destituta sint oratorio? Quid Prophetarum sublimes moramur conciones, eloquia, oracula, quibus Regum civiumque tot per secula moderabantur vitam, reprimebant flagitia, castigabant mores, & afflictis in rebus consolabantur! quin etiam adhuc consolari, erigere, edocere valent. Jam sublimi spiritu & grandi cothurno diviniora instantia atque futura proclamant, non modo Iudaicæ gentis, sed universi humani generis fata, jam soluto & humili pede in campum vitæ quotidianæ descendentes vitia reprehendunt popularium, virtutem ingenerant, monent, instituunt; quibus in omnibus rebus artem regnare Divinam atque humanam, hanc scilicet illi subordinatam, quis non sponte inveniet? Orationes vero seu declamationes Prophetarum metrico potissimum numero erant confectæ; & quantum in oratoria arte inferiores Græcis & Romanis Hebræi fortassis erant, quatenus artem solummodo, sine religionis influxu, quo Hebræi eminuerunt, judicamus, tantum in poësi qua elegantiori arte, non modo æquales sed longe superiores utique censemebuntur. Ulterius autem hæc persequi, vetat loci brevitas.

